

27

DISSERTATIO
MEDICO-PHILOSOPHICA PRIMA
DE
TRIPLICI MOTVS PRINCIPIO
IN CORPORE HVMANO VIVO.
QVAM SVB PRAESIDIO

I. F. SCHEIBLERI
M. D. ET P. P. ORDINAR.

VT ET
CIVITAT. STARGARDIENS. PHYSICI
ERVEDITORVM SCRVTINIO
D. III. MARTII M DCC XLIX.
HORIS CONSUVETIS
IN AVDITORIO

COLLEGII GROENINGIANI
MAIORI
SVBITICET

IOHANN IOACHIM DIKOW
STARGARD. POMERAN.

SEDINI
TYPIS HERM. GODOFR. EFFENBARTII.



VIRO
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSVLTISSIMO,
DOMINO
**MARTINO GEORGIO
MARQVARD,**
CONSVLI TESTAMENTARIO CELEBERRIMO, ONERVUM MILITARIVM
DIRECTORI AC CAMERARIO PRVDENTISSIMO.

VIRIS
PRAENOBILIBVS AC PEREXIMIIS
DOMINO
**GEORG. WILHELMO
LOEPER,**
IVDICII SECRETARIO ATQVE COLLEGI TRIBVNITII DIRECTORI
LONGE MERITISSIMO.

DOMINO
**IOHANNI DAVIDI
RAVENSTEIN,**
IVDICII SECRETARIO AC NOTARIO PVBLICO CAESAREO FAMIGERATISSIMO.
NEC NON
RELIOVIS DOMINIS TESTAMENTARIIS
PATRONO, FAVORIBVS ATQVE AMICIS SVIS

EA, QVA DECET
NON FVCATA PIETATE ET OBSERVANTIA HANCCE
DISSERTATIONEM SACRAM ESSE VOLVIT.

PRAESES.



AB omni probabilitate alienum esse propemodum videtur, eruditi quod contrarias servare sententias easdemque pro aris et focis præfractæ defendere possent; Hic enim cum nudæ adstipulatur veritati, alterum necessario errare, oportet, contrarium vero oppositum qui absque erubescendo affirmare strenue adlaborat. Attamen hac indubitata non obstante consequentia, doctissimi viri invicem sibi contradicere jam dudum consueverunt: Varias enim Theologorum et Sectarum huc pertinentium, contradictionum fundamenta unanimi quasi consensu, sacris litteris superstruentium, altercationes silentio transire nobis liceat: Neque Jurisconsultorum controversias in jurgia atque litigia sæpius abeuntes, hic prolixius allegandi operæ pretium est: Imo! ipsi Philosophi, licet eorum scientia summum attingisse videatur apicem, raro admodum inter sese conveniunt: Et quod præcipue meretur admirationem, expertissimi etiam Medici, quamvis horum indefessi (ut ita dicamus) labores ad hominum sanitatem præsentem conservandam, amissamque restaurandam respicere jure meritoque debeant finem, in ægrotantium perniciem de lana caprina subinde rixantur! Non unius viri, ut opinamur, sufficit diligentia, multo minus in nostra positum est potestate, omnium ac singularum ambiguitatum felices evadere venoces. Quin imo! æthiopem lavaremus,

remus, innumerarum disputationum si hunc unicum fontem, qui ex utriusque partis certantis erroribus originem suam trahit, atque in omnibus scientiis hinc inde sese manifestat, in apricum ponere vellemus. Pertinet huc primario is, qui in vitæ hominis motusque originis anxia oritur indagazione, ac discrepante explicatione, sufficientem ejus rationem ex Animæ potentia, seu facultate partim haurientium, partim artificiosæ c. h. structuræ e contrario, superstruentium Medicorum dissensus, quorum hi posteriores Mechanici vulgo audiunt, priores vero Organici pro more consueto, vel Stahliani vocantur. Datur præter eos ingens sic distortorum Eclecticorum numerus, qui medium quasi se tenere vel simulant, vel revera adnituntur. At, quamvis observantia erga dissentientium ita medicorum doctissimos auctores, certo respectu summis laudibus extollendos, oculum quin jugiter adjiciamus, nulli intermittere possumus, attamen nuda manuducti veritate, neque Mechanicorum in totum adstipulamur sententiis, neque Organicorum vexillis absque multa exceptione; nomina nostra inscribi desideramus. Demonstrandi potius omnem dabimus operam: quod neque ex organicis principiis solum, neque ex mechanicis per se consideratis firmum ac solidum scientiæ medicæ desumi possit principium, sed post utriusque systematis prudentem combinationem rationi atque experientiæ conformem, ad exoptatum, imo coronandum hunc finem mere tantummodo pervenire queamus. Hanc ob rationem de triplici motus principio in corpore humano vivo eo, quo decet ordine differere, ideoque triplex motus fundamentum stabilire jamjam conabimur reliqua vero erudienda huc pertinentia, et ob paginarum ex legibus nostris coactam angustiam relicta tribus peculiaribus V. D. illustrabimus disquisitionibus. J. Q. D. B. V.

§. I.

Justo ac legitimo ordine, absque evidenti obstaculo, ut scopum nostrum eo feliciter assequamur, quo facilius in avia aberrare humanum sit, ac Themati nostro satisfaciamus, utriusque systematis, tam organici, quam mechanici argumenta ponderosissima ex ratione atque experientia desumpta in trutina quasi a nobis suspendi, ac ea, qua par est, perspicuitate solido subijci scrutinio oportebit. Atque nunc manifeste luculenterque adparebit, quod

quod neque divi Stahlii affectis, neque eorum adversariis, (mechanicis inquam) sententiarum suarum multis in partibus defendendarum veritatem desint vires. Ex quo reconciliationis difficultas, ac dissensus magnitudo præter omne dubiam non solum oriuntur, verum etiam cognoscuntur.

§. 2.

Priores enim Stahliani nimirum Ens rationale nobis inhabitans animam nostram pro principio ac motuum causa agente haud præter omnem rationem agnoscunt, cum nil magis, quam hæc sententia (pro certa vere habenda), concordat cum veritate, quod corpus purum, ac physice sic dictum nullo modo vi propria sese movere possit, nisi ab alio corpore animato aut spiritu moveatur, solo excepto motu ex vi centripeta oriundo. Et licet tam motricem quam inertiae vim cuilibet concedere corpori haud tergiversemur, etsi plura quam corporum millia sibi invicem communicare queant motum, ac tali modo sese movere. Attamen vis motrix eorum cum salis grano est perpendenda, et prima motus stamina in considerationem sunt trahenda.

§. 3.

Est autem nobis corpus physice consideratum: Corpus quid?
 Ens quodcumque partibus conflatum: Quies, perseverare in loco: Quies quid?
 Motus vero, loci mutatio: Motus quid?

Postulata quadam physica.

- 1.) Corpora vel quiescunt, vel se movent.
- 2.) Sub quiete constituta corpora nisi sese movent, semper exercent, et quidem pressione versus terræ centrum in gravitate sua posita.
- 3.) Corpora motui cuicumque resistunt pro materiae Vis inertiae quid? quantitate, situs ac figuræ ratione, quæ resistantia vis inertiae vocatur.
- 4.) Corpora quiescentia, ex quo obstaculum motui oppositum removetur, sese movent, atque sub motu alia quiescentia corpora movere simul queunt, qua ratione posteriorum motus a priori-

prioribus dependet, eamque ob causam prioribus vis motrix conceditur, quæ est vis motus rationem proximam in se habens, ad terræ centrum jugiter vergentis.

Vis motrix
quid?

§. 4.

Ex hisce adductis postulatis §. 3. haud difficulter diiudicare possumus, qua ratione et quatenus sese aliaque movendi corpora vi gaudeat corpus, sique ad motuum primarios ortus attendere studemus, eos vel hominibus, vel aliis animatis creaturis, vel rerum Universi conditioni, consequenter Deo vindicare debemus. Præter ea certissimum et extra omnem dubitationis aleam est positum; dari in homine vivo, (nisi monstrum sit horrendum cui rationis lumen ademptum), ens ratione ac voluntate præditum anima dictum ex Psycholog. Et cum, quem admodum experientia edocemur quotidiana, homines plurimis motibus arbitrarie perfungantur, atque voluntas animæ suos debet natales, actionum voluntariarum causam principalem animæ potentix haud frustra adscribere contendunt Stahliani.

§. 5.

Plurimi enim musculi, primaria post nervos motus organa, et ii præcipue, quorum nervi ex cerebro et spinali oriuntur medulla, (a) moventur voluntarie, quo recensendi sunt frontales, oculares, maxillæ inferioris, labiorum, genarum, linguæ, colli, manuum pedumque, sphincteres, aliarumque partium c. h. pro arbitrio movendarum musculi. Suapte pulmonum motionem retardant ac accelerant homines sanæ, et spiritus exhalationem perferat longum supprimunt temporis spatium: Ira terrorque ac omnes animi adfectus influxum suum in cordis systolen et diastolen, consequenter in sanguinis circulum: in ingestorum digestionem, et noxiorum se- et excretionem illico demonstrant. Imo! sanitas et morbus et subitanea mors eosdem præ primis lætitiâ ut sufficientes haud raro consequuntur causas. Quidquod! ipsa hominis generatio plurima ex parte animæ voluntati subjecta esse observatur. Relinquimus phænomenon istud in praxi medicis quotidie

(a) Vid. Heister. Comp. anatom, p. m. 172.

tidie obveniens, quod variolis, morbillis, purpura, aliisque multis adfectibus correpti ægrotantes sine propinato ullo medicamento per medicinam quasi internam sponte sæpissime sanentur.

§. 6.

En itaque ponderosissima Organicorum argumenta, ex quibus hæc indubita elucescit veritas, quod considerata in c. h. animæ nullo modo denegari possit potentia. Verum enim vero, quem admodum Organismus sua gaudet probabilitate et aliquo modo demonstrabili certitudine §. 4. et 5. Ita etiam Mechanicis omni jure concedendum est, quod sua argumenta, prioribus, licet non præstantiora, tamen paria sint æstimanda; Quamvis enim idquidem omni falsitate destitutum sit, musculorum plurimos pro voluntate animæ nostræ moveri; nihilominus tamen qua ratione sic et non aliter procedant motus, distincte percipiendi hæc requisita non pollet capacitate, et quæque per multiplicem ac sollicitam hæc de re sunt inventa diligentiam, motuum fundamenta Stahlianæ semper explicandi gratia methodo minime plane sufficient.

§. 7.

Edocet nos ulterius anatomia, eos musculos, quorum nervi ex cerebello (b), cerebro ipso nobilitate multo præstantiori, originem suam trahunt, non arbitrarie, sed pure mechanicè motu cieri: Et quis inficias ibit, pulmones quin una cum diaphragmate cæterisque organis respirationis negotio dicatis pro pneumatica, cor vero una cum vasis sanguiferis pro machina perfecte hydraulica sint habendi? quin cordis motus ac independens sanguinis circulus, humorum utilium legitima adpositio, peregrinorum vero ac noxiorum se- et excretio animæ voluntati neutiquam subjecti, verum potius in artificiosa corporis structura sint fundati? Pari modo cum ingestorum digestionem chyli præparatione, ipsa sanguificatione, pulsorio meningum motu cerebri, ac vermiculari intestinorum progressu est comparatum.

§. 8.

Ast, quamvis hæc omnia vere ita sese habeant neque Organicorum systema, neque Mechanicorum

(b) *Leg. Heister. c. p.*

opinamur, eo pertingit, firmum ad scientiam e medicina formandam, ac durable ponere fundamentum; Manet potius ædificium eorum principis inædificatum jugiter vacillans atque incompletum. Consentiant nobiscum Philosophi, neminem scientificum esse æstimandum, qui sententias suas, quas defendere conatur, ex certis demonstrandi principiis, intellectus eget facultate ex Logic. Atqui, cum, quem admodum ex antecedentibus de motuum variis causis adductis §. 4. 5. 6. 7. in aprico versatur, utriusque sectæ certantis dogmata omnia non ea, qua scientificæ requiritur, certitudine posse demonstrari, nil aliud consequitur, nisi hæc veritas; neque ex organicorum doctrina neque mechanicorum scientiam esse formandam. J. Q. E. D. Quo minus enim mechanica c. h. structura in dubium est trahenda, motusque in ea fundati §. 7. animæ viribus a Stahlianis immediate sunt tribuendi, eo magis animæ potentiam in c. h. concedendi vivum, multosque illi subjiciendi motus §. 5. æquitate adstringuntur mechanici.

§. 9.

Noli vero lector benevole hanc ob causam Medicinæ scientiæ dignitatem denegare atque cum Celso (c) aliisque momis artem incertam, conjecturalem et summe denominare fallacem; Eminent potius nostra præ reliquis scientiis medicina claritate, præstantia ac certitudine, nisi solam excipere velis mathesin puram! Post utriusque enim systematis sapius jam dicti prudentem arctamque combinationem elatissimæ scientiæ omnino assequitur splendorem hunc absque omni difficultate attingere finem, nisi, quod oppositorum dogmatum animati sectatores dextram sibi porrigant, capta derelinquant præjudicia, atque reconciliato pernoſcant animo: innumeros motus, quos rationali in nobis animadvertimus scrutinio, ab animæ dependere arbitrio §. 5. alios vero in mechanica c. h. structura penitus esse fundatos §. 7. iterum autem alios ex utriusque essentialis hominis partis arctissimo scaturire vinculo.

§. 10.

Rationi ac experientiæ superstructum examen quemlibet hujus veritatis inæstimabili pretio est conyicturum.

Pro

4. in Præfat. L. I. p. 10.

g. 2. 10. 11. gal (d)

Pro Theoremate ideo hanc agnoscamus propositionem: *hominem essentialiter ex anima consistere immateriali ac corpore vivum.* Motus hominis vivi ratio sufficiens vel in eodem habitat, vel extra illum est posita. Sin extra illum constitutum esset motus principium, mere tantummodo passive sese gereret homo; Cum vero contrarium observamus, ex experient. quotid. (quippe, quod active se moveat.) motus ratio sufficiens in ipso habitat homine. J. Q. E. D.

§. 11.

Ex duabus consistit partibus homo essentialibus, anima nimirum et corpore §. 10. Atque præterea motus sui ratio in se ipso est fundata §. eodem; Hæc itaque necessario vel in corporis structura, vel animæ viribus, vel in arcto utriusque partis essentialis vinculo est quærenda. J. Q. iterum E. D. Alacrioribus ad veritatem nos nunc adpropinquare nitamur passibus; sicuti enim motuum ratio animæ sæpius insita est potentiz §. 6. 8. subinde tamen etiam corporis mechanicæ structuræ §. 7. 8. ita pariter et quidem sæpissime eadem ab utriusque partis essentialis harmonica dependet consociatione.

§. 12.

Prioris adfertur veritatem in rationis nostræ omniumque actionum exercitatione abunde perspicimus? alterius certitudinem motus præter voluntatem, nobisque plane insciis quotidie procedentes demonstrant §. 7. Et quod denique tertium atque primum motuum concernit fundamentum, ex animæ cum corpore, arcta a nobis desumptum combinatione, utriusque partis essentialis harmonica non solum prodit consociatio, sed ipsa etiam comprobatur anatomia; Hæc enim uti nobis antea indigitavit: plurimos pro animæ arbitrio moveri musculos, quorum nervi ex cerebro oriuntur et spinali medulla §. 5. alios autem mere mechanicæ, quorum nervi ex cerebro et cerebello simul originem suam trahunt, partim arbitrarie, partim e contrario minime pro voluntate actionibus suis perfungantur, eadem testatur certitudine. (d)

(d) Evolv. Heister. c. 1.

)(

§. 13.

§. 13.

Similem huic rei animadvertimus ordinem in toto vitæ conservendæ nutritionis negotio; Ponamus enim casum: aliquis vehementem quod patiatur famem atque ob ciborum inopiam in hoc commiserationis digno versetur statu, indigum suum non exfatlandi gratia Stomachum. Nonne lubentius optaret, ut a nulla cibandi angeretur capiditate? Ast nihilominus tamen rodens famens ejus voluntati nullo modo jam vult obtemperare, sed compellit eam potius summum felicitatis gradum in eo anxie quærere scopo, latrantem ciborum ingestione placandi ventriculum. Sin itaque veram comedendi ac bibendi adpetitus conditionem explicare studemus, stomachi statum eo tempore, quo famem sitimque perentiscimus una cum animæ voluntate cibandi et bibendi in considerationem simul trahi, necessario oportebit, atque tunc saltem potestate gaudebimus, adpetitus sitisque causas ex certis demonstrandi principiis.

§. 14.

Verum enim vero! Ponamus casum e contrario: esuriens homo quod lapidis sese confaturandi cibus polleat felicitate! Tunc dextia carpit dapes, easque ori cupide admovet, masticat, deglutit, gratumque hunc sibi laborem tamdiu sedulo continuat, usque dum tandem satis se assumfisse animadvertit. Nemo certissime inficias ire audebit, omnes hæ recensitæ actiones quin infituito animo, et quod consequitur §. 4. per animæ facultates voluntarie progrediantur! Ast, quo modo, et quam ratione ciborum fiat concoctio, admiranda chyli præparatio, ejusdemque cum ipso sanguine miscela, tandemque æqualis per totum corpus partium nutrientium peragantur distributio, humorum peregrinorum seu noxiorum secretio et emendatio, pro animæ negotio immediato minime est habendum. Sunt potius hæc omnia in naturali corporis humani vivi fabrica vere fundata §. 7.

§. 15.

Auris externæ figuram perpendere, ejusdemque interioris examinare structuram si porro adlaboramus, nil plane facilius finit sese apprehendere, quam sonitus in aurem introitum, ejusdemque

demque ad nervum usque utrinque auditorium progressum, imo ipsum tonitactum ab artificiosa ejus limaci- ac labyrinthiformi præcipue dependere ædificio ex Physic. Neque ipsa soni sensatio animæ rationali est tribuenda facultati; Alias enim brutis fortius meliusque audirent homines; Idvero in quotidianam vere impingit experientiam, qua varia (nisi concedere velis plurima) animalia majori audiendi quod gaudeant capacitate hominibus, auditusque fortitudo eorum aurium magnitudini plerumque sit conformis, in singulos edocemur dies. Nullus autem eorum sane, qui sano pollent judicio, sonitum distincte distinguendi sensum atque de auditis rebus existimandi potentiam animæ rationalis denegabit facultatibus. Silentio, ut omnem evitemus prolixitatem, transire nobis liceat reliquorum sensuum sentiendi formalitatem, pulmonum motus et hominis generationem.

§. 16.

Cum itaque, quemadmodum hisce allegatis convincimur rationibus, motuum in hominibus vivis observandorum causa principalis partim in animæ nostræ facultatibus, partim e contrario in artificiosa corporis fabrica §. 9. et pro tertio denique in utriusque partis essentialis harmonico ærtissimoque haud raro est fundata vinculo §. 10. sequentibus, hæc necessario inde redundat impossibilitas; motuum rationem sufficientem vel animæ potentiæ in corpus solum, vel soli corporis mechanicæ vindicandi structuræ. *Sed datur triplex motus fundamentum.* † Principium, fundamentum atque origo nobis jam sunt synonyma. † J. Q. E. D.

§. 17.

Errant igitur utrinque sectatores, et nullus eorum, quamdiu verus perseverat sectator, Medicinam utut scientiam profiteri poterit §. 8. organici quippe atque mechanici. Alt! post utriusque systematis, Organismi nimirum cum Mechanismo prudentem combinationem elatissimæ scientiæ omnino assequitur Medicina splendorem atque essentiam, et hac methodo medicorum ambiguitates maximæ plurimæque e medio feliciter tolluntur. Deo autem T. O. M. pro clementissime præstito suo auxilio sit vera laus a nobis et gloria in æternitatem. Tantum.

COROL-

C O R O L L A R I A .

- 1.) Hominum temperamenta melius citiusque ex corporis cognoscuntur conditione, quam ex actionibus moralibus.
- 2.) Possibile est omnino, ut anima nostra maneat indissolubilis, immutabilis atque æterna, si etiam quis statueret vellet, illam ex ipso procreari spermate virili.
- 3.) Medicum oportet esse Philosophum et præstat mere empirico philosophicus. Male itaque agunt Doctores academici, eruditorum numero minime adscribendis hominibus Doctoris gradum qui ob sacram auri famem indiscriminatim conferunt.
- 4.) In morbis sanandis materiæ peccantis conditio cum medicamentorum principiis essentialibus præ primis est perpendenda.
- 5.) Defluxiones catarrhales, ejusmodi febres tam benignæ quam malignæ, petechiales, pestilenciales et ipsa pestis *indole sua contagiosa* sunt æquales et gradu tantum differunt.
- 6.) Vanum est atque inane ex ferro vel alio viliori metallo conficere velle aurum, nisi metallorum quis antea artificiosam demonstraverit transmutationem viliorum in meliora et quod hucusque hac in re inventum esse videtur, in sola partium nobiliorum consistit secretione. Reliqua ad alchymicorum fabulas sunt referenda.
- 7.) Gravia omnia sunt corpora, etiam aër, fumus et ignis, ac nihil ad terræ centrum sese movendi jugiter exercent.



01 A 6507

f

ULB Halle 3
002 937 859





TA-706

nur 10. Stück bishov verknüpft

1017







34

DISSERTATIO
MEDICO-PHILOSOPHICA PRIMA
DE
TRIPLICI MOTVS PRINCIPIO
IN CORPORE HVMANO VIVO.
QVAM SVB PRAESIDIO
I. F. SCHEIBLERI
M. D. ET P. P. ORDINAR.
VT ET
CIVITAT. STARGARDIENS. PHYSICI
ERVDTORVM SCRVTINIO
D. III. MARTII M DCC XLIX.
HORIS CONSUVETIS
IN AVDTORIO
COLLEGII GROENINGIANI
MAIORI
SVBITCIET
IOHANN IOACHIM DIKOW
STARGARD. POMERAN.

SEDINI
TYPIS HERM. GODOFR. EFFENBARTII.

